



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

103. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

de quibus nominibus nefas est aliud quām natura constituit suspicari.

Ne ancillæ vel libertæ cellarum teneant
Clericorum vel ministerium secretum im-
pendant. *Ex Concilio Agathenſi.*

C I. Ancillas vel libertas à cellario vel à se-
creto ministerio & ab eadem mansione in qua
Clericus manet placuit removeri.

Conc. Agath.
c. II.
Burchard. lib.
2. c. 113.

De familiaritate extranearum mulierum.

Ex Concilio Aureliano.

C II. Ideoque statuimus ut ne quis anti-
ſtitutum aut Clericorum licentiam habeat intra
domum suam ullam, absque propinquis mu-
lieribus quas priores canones eloquuntur, ha-
bere personam. de quibus etiam id specialiter
inhibetur, ut si quis Clericorum ſuspicionem
adversam aut oblocutionem populi ob mulie-
rem quamcunque incurrit, eam statim, si in-
tra domum suam habet, abiciat. Si certè extra-
nea & ſui juris eſt, iſtam omnibus conditioni-
bus ſtudeat abicere, ut infamia quæ excitata
eſt abrogetur. Quòd ſi quilibet antifititum vel
Clericorum quod ſuprā scriptum eſt vitare
noluerit, pro inobedientia triennij excommu-
nicatione multetur. Quòd ſi adulterij permix-
tione fuerit adprobatus, in regradatione hono-
rum, priorum canonum statuta ferventur.

De eadem re. *Ex Concilio Turonico.*

C III. Et quia diabolo nullum locum dare
oportet, hoc præcipuè custodiendum decre-
vimus, ut nulli Clerici cum extraneis feminis

Concil. Tu-
ron. 1. c. 1.
Burchard. lib.
2. c. 116.

E iij

habeant familiaritatem , nec ullum male loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant : quia frequenter per hanc indecentem occasionem contigit ut diabolus , qui infidatur sicut leo in cubili suo , de ruinis servorum Dei insultet. Si quis vero Clericus post interdictum Episcopi sui inlicitis familiaritatibus extranearum seminarum voluerit inhærere , à communione habeatur alienus.

De eadem re. *Ex Concilio Nannetenſi , capitulo vi.*

Concil. Nannet. c. 3.
Lib. 7. Capitular. c. 291.
Burchard. lib 2. c. 116.

C IV. Inhibendum & modis omnibus interminandum est ut nullus sacerdos eas personas seminarum , sicut & in canone insertum continetur , de quibus suspicio esse potest , in domo sua habeat. sed neque illas quas canones concedunt , (quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur , aut etiam in pedissequis illarum) scilicet matrem , amitam , sororem. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem cui sit necessitas sustentatio Presbyteri , habeat in vicino aut in villa domum longe à Presbyteri conversatione , & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc secundum auctoritatem canonicam modis omnibus prohibendum , ut nulla femina ad altare præsumat accedere aut Presbytero ministrare aut infra cancellos stare aut sedere.

De visitandis à Presbytero infirmis.
Vnde suprà.

Concil. Nannet. c. 4.

C V. Cùm sacerdos audierit aliquem in-